



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXX. Differentia 3. Iure Canonico Archiepiscopus cum pallio sepelitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

LXX.

DIFFERENTIA 3.

Iure Canonico Archiepiscopus cum pallio sepelitur, c. 2. de auctor. & usu pa l. Iure civili autem nemo sepeliendus est cum ornamentis aliquibus: l. Et si quis, §. Funeris causa, ff. de relig. & sumpt. fun. Ioann. Bapt. à S. Blasio 132.

I. Pallium, ait Isidorus l. 19. c. 24. est, quo ministrantium humeri conteguntur, ut dum ministrant, expediti discurrant. Unde *Plaut.* Si quid facturus es, appende in humeris pallium. Dictum videtur à pellibus, quia prius superindumento pelliceo (ut hodieque in nonnullis Germaniæ locis) veteres utebantur, sive à pella per derivationem. Illud, quo Patriarchæ, & Archiepiscopi utuntur, ex candida lana contextum est, habens circum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte, antè, retroque pendentes. A sinistris est duplex, à dextris verò simplex, habens desuper quatuor cruces negras, unam antè, alteram retrò, sic à dextris & sinistris, ibique infixæ sunt tres acus: quæ mysteria declarat *Innoc. III. l. 1. de missa c. 68.* Unde apparet non tegendo, aut muniendo corpori inventum, sed ad demonstrandam majorum præfulum auctoritatem.

Cum tali ornamento sepeliri Archiepiscopum Canones volunt, quoniam illius usus cum moriente extinguitur, & ne fortè in alienas manus cum abusu

deveniat. Nam in *c. 2. citato Celestinus III.* rescribit, pallium in personam non transire, sed unumquemque cum illo sepeliri. *V. Panorm. in c. Ad hac. Durand. in rationali l. 3. c. 17. n. 12. Quarantæ in summ. Bullar. v. Archiepiscopi auctoritas. Silv. v. Pallium, cir. fin. Az. II. l. 3. c. 34. Moscon. de maiest. eccles. l. 1. c. 8. Barb. in c. Ad hoc, de auct. & usu pall.*

II. Quod Jus civile attinet, *Vlpianus in l. cit.* dicit, non esse ornamenta cum corporibus sepulcro interenda, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt. Cautas edicere non erit difficile consideranti hominum cupiditates, & circa mortuos opiniones mirificas. Vestibus, cibis, equis indigere à quibusdam creditum est, hodieque inter infideles reperiuntur. *Auban. de mor. gent. l. 2. c. 10. de Tartaris.* Inde sumptus immodici & supervacanei, profusio solis futuræ.

* * *

L

LXXI. DIF-

Antinomia.